
701.2 177

Principia, ſiue

PRIMA LINGVAE Latinæ elementa, pueris facilè inſtituendis commodiſsima.



LVTETIAE,

Ex officina Roberti Stephani.

M. D. L I X.

Digitized by Google

PRINCIPIORVM LINguæ Latinæ canones, ſiue regulæ generales.

Qvot modis incipienda eſt Latina locutio? Quatuor. Quibus? A nominatiuo caſu, ſingularis aut pluralis numeri: à uocatiuo caſu ſingularis aut pluralis numeri: ab ablatiuo abſolutè poſito: aut à uerbo imperſonali, ſi deſint reliqui modi. Verſus,

Incipe per rectum, quintum, ſextúmve ſolutum.
Imperſonali, ſi deſint, vtere verbo.

Quando incipiendum eſt à nominatiuo? Quando in ipſo ſtatim initio adeſt aliquod nomen ſubſtantiuum, aut pronomen primitiuum: deinde ſequitur uerbum perſonale modi finiti, requirens nominatiuum caſum ante ſe pro ſuppoſito: ut, Magiſter legit.

Incipe per rectum, ſi perſonale ſequatur
Verbum, quod pro ſuppoſito rectum ſibi poſcat,

Quid eſt ſuppoſitum? Eſt nomen ſubſtantiuum, aut pronomen primitiuum, nominatiui caſus, conſtructum à fronte uerbi, ſiue ante uerbum: ut, Magiſter, Ego.

Suppoſitum ſemper fixum tu dixeris eſſe.
Pronomen primùm poteris quandoque locare.

A quo regitur nominatiuus ille, quem uocant Suppoſitum? A primo uerbo perſonali modi finiti, quod poſt ſuppoſitum conſtruitur uirtute perſonæ.

Suppoſitum regitur à verbo iure ſequenti.

Quid eſt Appoſitum? Verbum perſonale modi finiti, ut, Amo, Lego.

Appoſitum verbum dic perſonale vocari.

In quot debent conuenire, ſiue ſimilia eſſe Suppoſitum & Appoſitũ? In duobus. Quibus? Numero & perſona.

Appoſitum cum ſuppoſito numerus ſociabunt
Et perſona, quibus hæc cõueniunt duo ſemper.

Quot requiruntur antè quàm aliquod nomen poßit eſſe ſuppoſitum uerbi perſonalis modi finiti? Quatuor. Quæ? Primò quòd ſit nomen ſubſtantiuum, aut pronomen primitiuum. Secundò, quòd ſit nominatiui caſus. Tertiò, quòd ſit eiuſdem perſonæ. Quartò, quòd ſit eiuſdem numeri cuius eſt uerbum.

Suppoſitũ Verbi vult quòd ſint quattuor in ſe:
Stet per ſe, primum: rectus ſi dico, ſecundum:
Demum perſonæ concordia ſit, numerîque.

Quæ uerba regunt à tergo, ſiue poſt ſe, nominatiuum caſum? Frequentißimè uerba ſubſtantiua, & uocatiua, & cætera uerba ſimilem uim habentia.

Nec ſolum nominatiuum caſum hæc uerba poſt ſe regere poſſunt, imò uerò & alium caſum præcedenti ſimilem: ut Cogit me timor eſſe pium.

Horum conſimiles debet coniungere caſus
Copula, perſonam dum pertineant ad eandem.

Quot ſunt uerba ſubſtantiua? Tria. Quæ? Sum, es, Fio, fis, Exiſto, exiſtis.

Exiſto, Fio, Sum, Subſtantiua vocantur.

Quot ſunt uerba uocatiua? Quinque. Quæ? Nominor, Appellor, Nuncupor, Vocor, & Dicor: quæ omnia uocem habent paßiuam.

Verba vocatiua debemus dicere, Dicor,
Nominor, Appellor, & Nũcupor: & Vocor adde

Quæ uerba uim habent uerborum ſubſtantiuorum

& uocatiuorum? Plurimum uerba paſſiua, & neutra: interdum quoque actiua, deponetia, & communia: ut, Efficior clericus. Ambulo rectus. Scribo ſedens. Perſequor malus. Criminor iniuſtus.

Eſt ſubſtantiui atque vocatiui data neutris,
Paſſiuis, aliis etiam ſignatio ſæpe.

Quando incipiendum eſt à uocatiuo? Quando ſermonem noſtrum dirigimus ad aliquem, aut eum uocando, aut ei præcipiendo, aut eum hortando: ut Petre ueni, Petre fac ignem.

Incipe per quintum, cùm verbum dirigis ipſum
Prçcipiens alicui, aut orás, aut comiter hortans.

A quo regitur uocatiuus? Non regitur, niſi ab imperatiuo, aut ab aduerbio uocandi, ô.

Nõ regitur quintus, vel forſan iũge vocandi ô.

Quando incipiendum eſt ab ablatiuo abſolutè poſito? Quando in initio adeſt nomen ſubſtantiuum, aut pronomen primitiuum: deinde ſequitur participiũ expreſſum, aut ſubintellectum: nec poſtea ſubſequitur aliquod uerbum à quo illud nomen uel pronomen poſſit regi: ut, Magiſtro legente diſcipuli proficiunt.

Si pronomen erit, vel nomen, participans poſt:
Et verbum non ſit, cui ſuppoſitum dare poſsit:
Rectus tunc ſextum debet abſoluere caſum.

Quot modis reſolui poteſt ablatiuus abſolutè poſitus? Tribus. Quibus? Per ſi, per dum, & per quia. Per ſi: ut, Te ueniente ad me, dabo tibi equum: id eſt, Si ueneris ad me, dabo tibi equũ. Per dum: ut, Magiſtro legente, diſcipuli proficiunt: id eſt, dum magiſter legit, diſcipuli proficiunt. Per quia: ut, Sole lucente dies eſt: id eſt, quia ſol lucet, dies eſt.

Per ſi, vel per dum, vel per quia, iure reſolui
Ablatiuus habet, quando rectore carebit.

Quando incipiendum eſt à uerbo imperſonali? Quando in principio ſermonis Gallici dicimus On, *uel* Il: *deinde ſequitur aliquod uerbum, nec tamen adeſt ullum nomen ſubſtantiuũ, aut pronomen primitiuum, quod poßit illius uerbi eſſe ſuppoſitum, ut* Pluit, il pleut, Legitur, on lit.

Si ſine ſuppoſito certo fiat tibi ſermo,
Imperſonali verbo tunc te decet vti.

Quando in oratione locus eſt genitiuo? Quando duo nomina ſubſtantiua, quorum primum eſt appellatiuum, ſe inuicem ſubſequuntur, ſiue ueniunt unum poſt aliud ſine coniunctione media, oportet ſecundum eſſe genitiui caſus, regetúrque à primo ſubſtantiuo uirtute poſſeßionis: ut, Caput Ioannis, Equus Petri.

Subſtantiua duo ſi ſint ſimul, in genitiuo
Poſtremũ ponis: dum primum non propriũ ſit.

Ex poſtrema huius regulæ particula manifeſtus ſit eorum error, qui dicunt Nicolaus radicis, Stephanus Stephani, Ioannes Gulielmi: *quum ubique legamus* P. Virgilius Maro, *non* Maronis. *Si tamen ſubaudiatur ſubſtantiuum,* filius, *aut aliquid ſimile, Latina erit locutio: ut* Ioannes Gulielmi, *ſub.* filius. Tyro Ciceronis, *ſub.* libertus.

Quot uerba regunt poſt ſe genitiuum? Sedecim. *Quæ? Octo perſonalia, & octo imperſonalia. Quæ ſunt octo perſonalia?* Obliuiſcor, Memini, Memoror, Miſereor, Recordor, Arguo, Damno, & Accuſo, *& omnia nomina & participia ab eis deſcendentia. Quemadmodum enim dicimus,* memoror tui: *ſic etiam dicimus,* memorans tui, & memor tui.

Arguo, Damno, Recordor, & Accuſo, genitiuo,
Oblitus, Memini, Memoror dabis, atq; Miſertus

Quæ ſunt octo imperſonalia? Pœnitet, Tædet, Miſeret, Pudet, Piget, Intereſt, Refert, & Eſt, quando accipitur pro Pertinet: quorum quinque prima regunt genitiuum & accuſatiuum ſimul: ut, Tædet animam meam uitæ meæ.

Pœnitet, & Tædet, Miſeret, Pudet, & Piget, iſta
Accuſatiuos ſibi iungunt & genitiuos.

Quem caſum regunt reliqua tria? Genitiuos omnium dictionum: exceptis genitiuis trium pronominum primitiuorum, Mei, Tui, Sui, Noſtri, Veſtri: quorum loco, Intereſt & Refert regunt ablatiuos ſingularis numeri fœminini generis pronominũ poſſeßiuorum, Mea, Tua, Sua, Noſtra & Veſtra: ut Intereſt & Refert mea docere. Eſt uerò, acceptum pro Pertinet, loco ablatiuorum fœminini generis pronominum poſſeßiuorum, regit nominatiuos ſingulares neutri generis eorundem: ut, Cuius eſt benefacere? Reſpondetur, Meum.

Inter & eſt, Referr, aut Eſt, iungas genitiuis,
Primorúmque trium demes quinos genitiuos.

Quando in oratione locus eſt datiuo? Quando poſt nomen adiectiuum, aut uerbum, aut participium, ſenſus poteſt eſſe congruus & conueniens: ut, Aptus mihi, Dico tibi, Dicens tibi. Omnia enim uerba, & participia, & frequenter adiectiua poſſunt regere poſt ſe datiuum caſum per uim acquiſitionis.

Omne tibi verbum dabit acquirendo datiuum.
Participans regere hunc vel mobile ſæpe licebit.

Quot dictiones naturaliter regunt poſt ſe datiuum? Quinque. Quæ? Obuius, obuia, obuium: Obuio, obuias;

A.iiij.

Obuiam, Væ, & Hei: ut, Obuius tibi, Væ illi, Hei mihi.
Adde viã, vio, Væ, ſimul Obuius, Heíq; datiuo.

Quando in oratione locus eſt accuſatiuo? Quãdo habet ante ſe aliquod uerbum actiuum, aut tranſitiuum, aut participium habens uim ſignificationis uerbi actiui aut tranſitiui: túncque accuſatiuus ille regitur à tali uerbo uel participio, uirtute tranſitionis: ut, Amo Ioannem, Diligens Petrum.

Quartos actiuis ſubdes, vi tranſitionis.

Quid ponimus poſt participia? Omnes caſus, & omnes dictiones quæ poni poſſunt poſt uerba, poſſunt etiam poni poſt participia ab eis deſcendentia. Quemadmodum enim dicimus, Amo Deum, ſic etiam dicimus Amans Deum: Curro leuiter, Currens leuiter: Obuio tibi, Obuians tibi.

Quæ iunges verbo, iunges & participanti.

Quando in oratione locus eſt ablatiuo? Quando poſt nomen proprium, aut uerbum, aut participium, ſequitur ſenſus genitiui: uidelicet de, du, des: debet poni in ablatiuo caſu, aliquando mediante præpoſitione, ut Petrus de monte: & aliquando ſine præpoſitione, ut Malo me Galatea petit. Poſt uerba etiam paſſiua poni debet in ablatiuo, mediante præpoſitione à uel ab: ut Ioannes uerberatur à magiſtro.

Poſt propriũ nomẽ, poſt verbũ, participánſque
Si veniat ſenſus genitiui, iungito ſexto:
Detur paſsiuis à vel ab ſextus præeunte.

Vnde cognoſcis nomen ſubſtantiuum? Quia declinatur per unum articulum, ut hic Magiſter: uel per duos, ut hic & hæc Sacerdos.

Articulum geminũ dant ſubſtantiua, vel vnum.

Vnde cognoſcis nomen adiectiuum? Quia declinatur per tres articulos, ut hic & hæc & hoc Fœlix, *aut per tres diuerſas terminationes, ut* Bonus, Bona, Bonum.

Adiectiua genus triplex dăt tres quoque voces.

Quot modis debent conuenire, ſiue ſimilia eſſe, ſubſtantiuum & adiectiuum? Tribus. *Quibus?* Genere, *numero, & caſu.*

Eſt adiectiuum ſubſtantiuo ſociandum
In ſimili genere, pariter caſu, numeróque.

Quid eſt relatiuum? Eſt dictio mentionem rei antè dictæ faciens.

Atque rei referens præcedentis memor extat.

Quid eſt antecedens? Eſt dictio cuius mentionem facit relatiuum.

Dic tibi præcedens cuius ſit mentio facta.

Quot modis debent ſimilia eſſe relatiuum & antecedens? Tribus, *& aliquando quatuor. Quibus?* Genere, *numero, & perſona, & aliquando caſu.*

Perſona, genere, ſocia referens præeunti,
Et numero: caſum quandoque decet variari.

Quando in oratione locus eſt infinitiuo? Quando duo uerba ſe inuicem ſubſequuntur ſine coniunctione media, quorum primum non ſignificat motum, ultimum debet eſſe infinitiui modi: ut Volo *legere. Aliquando etiam infinitiuus ponitur poſt adiectiuum, ut, Paratus reſpondere.*

Si duo verba ſimul veniant, & ſint ſine motu,
Infinitiuum verbum vult eſſe ſecundum:
Adiectiua etiam poterunt præcedere ſæpe.

Quando in oratione locus eſt primo ſupino? Quando duo uerba ueniunt unum poſt aliud ſine coniunctio-

ne media, ſi primum ſignificet motum eundi de uno loco in alium locum, ſecundum debet poni in primo ſupino: ut, Vado lectum: aut in ultimo gerundio, mediante præpoſitione ad: ut, Vado ad ſtudendum.

Si primum verbum motum deſignet eundi,
Poſtremum primi debet tunc eſſe ſupini:
Siue gerundiui dic, ad mediante, ſupremi.

Quando in oratione locus eſt ultimo ſupino? Quando habet ante ſe aliquod nomen adiectiuum: ut, Difficile dictu, Facile auditu.

Poſt adiectiuum, ſupremum pone ſupinum.

Quid debet poni poſt uerba ſignificantia motum redeundi? Frequenter ponitur nomen, mediante præpoſitione a, uel ab, aut alia: ut, Reuertor ab urbe, à lectione, de prandio. Cauebis autem ab huiuſmodi locutionibus, Venio de prandendo, Redeo pranſu. Sunt enim barbaræ: quia ſecundum gerundium & ultimum ſupinum non admittunt conſortium uerbi ſignificantis motum redeundi.

Sed ſi deſignet primum motum redeundi,
Præpoſitis à vel ab, poteris ſuperaddere nomen.

Quando in oratione locus eſt primo gerundio? Sæpiſſimè quandò aliquod nomen ſubſtantiuum præcedit: ut, Venio gratia ſtudendi.

Sunt ſubſtantiuo iungenda gerundia prima.

Quot caſus regunt gerundia? Nullos caſus ante ſe regunt. Poſt ſe uerò tales regūt caſus, quales uerba à quibus deſcendunt. Quemadmodum enim dicimus Amo deum: ſic etiam dicimus Amando deum. Parco tibi, Parcendo tibi.

Quicquid verba regūt, his orta gerūdia poſcūt.

Quæ eſt natura coniunctionis? Coniunctio ſimiles caſus

coniungit: hoc eſt, talem caſum uult poſt ſe, qualem habet ante ſe: dũ tamen dictio præcedens non regat diuerſos caſus: ut ſi dicas, Mea *&* Petri *refert ſtudere.*

Iungere conſimiles debet coniunctio caſus,
Ni varium regimen tenuere regentia prima.

Quæ eſt natura nominum propriorum? Nomina propria uirorum, fœminarum, urbium, caſtrorum, aut fluuiorum, ſi habent numerum ſingularem, carent plurali: ut, Roma, Hecuba, Sequana. *Si uerò habent numerum pluralem, carent ſingulari: ut,* Athenæ Athenarum. *Nomina tamen uirorum & fœminarum aliquando habent pluralem: ut* Scipiones, Liuiæ, *&c.*

Plurali careat proprium quod conuenit vni,
Quod plerunque tamen ſolum plurale tenebit.

Quotæ perſonæ ſunt omnia nomina, pronomina & participia? Omnia nomina, pronomina, & participia ſunt tertiæ perſonæ, exceptis uocatiuis, qui ſunt ſecundæ: & duobus primis pronominibus primitiuis, Ego *&* Tu: *quorum* Ego, *reddit ſuppoſitum uerbis primæ perſonæ: ut,* Ego amo: *&* Tu, *uerbis ſecundæ: ut,* Tu legis.

Nomen, pronomen, perſonæ participánſque
Ternæ ſint: demes exin pronomina bina:
Atque vocatiuos, quos expedit eſſe ſecundæ.

Quot ſunt pronomina uocàtiuos habentia? Quatuor. Quæ? Tu, Meus, Noſter, *&* Noſtrâs.

Tu, Meus, & Noſter, Noſtrâs, hæc ſola vocabũt.

Quæ eſt natura nominum neutri generis? Omnia nomina neutra habent nominatiuos, accuſatiuos, & uocatiuos ſingulares, ſimiles: ut, Nominatiuo hoc Scamnum, *accuſatiuo hoc* Scamnum, *uocatiuo ô* Scamnum. *Et ſimiliter plurales, qui ſemper terminantur in* a: *ut,* Et plu-

raliter nominatiuo hæc Scamna, accuſatiuo hæc Scamna, uocatiuo ô Scamna.

Primum, cū quarto, & quinto caſu, ſimiles tres
Quolibet ī numero neutrū genus obtinet, ōne.

Quot modis debent inuicem concordare Interrogatiuum & reſponſiuum? Duobus. Quibus? Natura & caſu. Nam ſi interrogatio fit per aduerbiū, reſpondendum eſt per aduerbium eiuſdem naturæ: ut, Qualiter currit Petrus? Reſpondendum eſt, Benè, uel Malé. Si uerò quæſtio fiat per nomen, ſæpiſſime reſpondemus per ſimile nomen eiuſdem caſus: ut, Cuius eſt iſtud caputium? potes reſpondere, Ioannis, uel, Meum.

Naturam quærunt aduerbia ſemper eandem.
Nomina ſæpe pares optant reddi ſibi caſus.

Quot ſunt uerba anomala? Quatuor. Quæ? Sum, Volo, Fero, Edo, & eorum compoſita: exceptis compoſitis ab Edo.

Sum, Volo; Fers, & Edo, dicūtur anomala verba,
Et ſua compoſita: ſed Edo ſua ſubtrahit inde.

Quot tempora in omni uerbo formantur à præterito perfecto? Sex. Quæ? Præteritum plus quàm perfectum indicatiui, Præteritum perfectum & plus quàm perfectum optatiui, Præteritum perfectum & præteritū plus quàm perfectum & Futurum coniunctiui, Præteritum perfectum & plus quàm perfectum infinitiui, mutando i in e, & addendo rā, rim, ro: uel addendo ſſem, aut ſſe.

Præteritum de ſe ſex format tempora ſſem, ſſe:
I, mutando per e, ram, rim, ro, poſtea iunge.

Vnde formantur alia tempora? Sæpenumero à prima uel ſecunda perſona indicatiui modi, auferendo, uel addendo, prout formatio requirit.

Cætera præſentis normam dic cuncta tenere.

Participia unde formantur? Participia præſentis temporis ſemper formantur à præterito imperfecto indicatiui, mutando bam, in ns, in uerbis terminatis in o: ut Amabam, bam in ns, fit Amans: In ijs uerò quæ terminantur in or, mutando bar in ns, ut Loquebar, bar in ns, fit Loquens. Excipiuntur uerba quartæ coniugationis nõ habentia e ante bam: in quibus addendum eſt e, deinde faciendum ſicut dictum eſt. Sum etiam excipitur: in quo mutandum eſt ram in ns: ut Eram, ram in ns, fit Ens: & tria ab eo compoſita, Præſum, quod format Præſens à Præeram: Abſum, quod etiam facit Abſens, ab Aberam: & Poſſum, quod habet Potens à Poteram. Alia compoſita his carent.

Vertis in ns, bam, bar, præſentis participans fit:
Exceptis paucis, quæ ſi vis ſcire, labora.

Vnde formantur participia præteriti temporis? Ab ultimo ſupino, addendo s: ut Doctu, adde s, fiet Doctus.

Præteritum formans, extremo, s, iunge ſupino.

Vnde formantur participia futuri temporis terminata in rus? Ab ultimo ſupino, addendo rus: ut Amatu, adde rus, fit Amaturus. Excipiuntur uerba primæ coniugationis, quorum ſupina terminantur in itum, uel in ctum: formant enim aliquando participia in aturus, ut Domaturus, Vetaturus, Secaturus.

Illi rus iunges, in rus formando futurum,
Aturus plerunque tenet quod ctum dat itúmve.

Vnde formantur participia futuri temporis in dus terminata? A genitiuo ſingulari, participij terminati in ans, mutãdo tis in dus, da, dum: ut, Amans: tis in dus, da,

dum:ſit Amandus, Amanda, Amandum. Similiter etiam formantur gerundia.

Atque futura in dus, pariterq; gerundia formas,
In dus tis vertens præſentis de genitiuo.

Quot ſunt declinationes nominum? Quinque.

Nominis eſt tantùm tibi declinatio quinta.

Vnde cognoſcis primam declinationem? Quia terminat genitiuum ſuum ſingularem & datiuum in æ diphthongum: ut, Nominatiuo hæc Muſa, genitiuo huius Muſæ, datiuo huic Muſæ.

Dans æ diphthongum genitiuis atque datiuis.

Vnde cognoſcis ſecundam? Quia finit genitiuum ſuum ſingularem in i, & datiuum in o: ut, Nominatiuo hic Magiſter, genitiuo huius Magiſtri, datiuo huic Magiſtro.

I genitiuus erit: ſolet o præbere datiuus.

Vnde cognoſcis tertiam? Quia eius genitiuus ſingularis terminatur in is, & datiuus in i: ut, Nominatiuo hic & hæc Sacerdos, genitiuo huius Sacerdotis, datiuo huic Sacerdoti.

Is genitiuus habet, ſed tertius i tibi præbet.

Vnde cognoſcis quartam? Quia terminat genitiuum ſuum ſingularem in us, & datiuum in üi, diuiſas ſyllabas: ut, Nominatiuo hæc Manus, genitiuo huius Manus, datiuo huic Manüi.

Vs genitiuus habet, ſed tertius üi tibi præbet.

Vnde cognoſcis quintam? Quia eius genitiuus finitur in ei, & datiuus in ei: ut, Nominatiuo hæc Res, genitiuo huius Rei, datiuo huic Rei.

Ei dicetis genitiuis atque datiuis.

Quot ſunt declinationes pronominum? Quatuor.

Eſt declinandi pronomina norma quaterna.